RUPERTUS TUITIENSIS. LANFRANCUS CANTUARIENSIS. HIERONYMUS. ETC.
12. Jh. Seite 33v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26274
Copyright: Admont, Benediktinerstift



creauit. unus adam ambos nos genuit. Ecce tu foris
stas pre ira et indignatione quia pater meus saluum me re
cepit. et non uis introire pariterque epulari. Ego autem
egredior ad te et rogo ut ingrediaris. ostendens tibi
stolam primam quam pater in lauacro mihi dedit cum anulo fidei.
et calciamentis scientie ueritatis. Accipe mecum hunc
anulum. admitte fidelem sermonem istum. quem quomodo de fide
est anulum nuncupare placet. Stola ista induere. cal
ciamentis istis mecum calciare.

Deus Omnipotens Explicit liber .i. Incipit .ii. Xanus.
cum sit ipse fidelis in omnibus uerbis suis. fidem
ab homine ante omnia requirit. et sine fide
impossibile est ei placere. Hanc in primo homine quesiuit
et non inuenit. ille enim serpenti magis quam deo credidit.
Quesiuit in noe et inuenit. quesiuit in abraham et inuenit.
quesiuit in maria uirgine et inuenit. nullum signum
premittens hoc alicui ut crederetur sibi noua et inaudita
promittenti. Inuenta ergo fide delectatus ut uere the
sauri magni inuentione. signaculum suum apposuit
deus federatus hominibus federe insolubili. illi uidelicet
noe arcum suum in nubibus celi. ut uiso hoc signo recor
detur federis sui. et non sint ultra aque diluuii. huic
autem scilicet abrahe signum circumcisionis ut recordaretur
promissi sui scilicet seminis quod daturum se illi promisit. et
cum iuramento repromisit. Tercium fidei signum quod uidelicet
fide ut iam dictum est in maria inuenit credente
parituram se sine uiro xpm filium dei. et in omni ecclesia
quod illa uirgine peperisse fideliter credit. tercium in quo